

*Consepulti cum illo per baptismum,
in novitate vitæ ambulemus.*

Léctio Epístolæ beáti Pauli apóstoli
ad Romános

6, 3-4. 8-11

Fratres:

³ Quicumque baptizati sumus in Christum Iesum,
in mortem ipsius baptizati sumus.

⁴ Consepulti ergo sumus cum illo
per baptismum in mortem,
ut quemadmodum suscitatus est Christus a mortuis
per glóriam Patris,
ita et nos in novitate vitæ ambulémus.

[5-7]

⁸ Si autem mortui sumus cum Christo,
credimus quia simul étiam vivémus cum eo;

⁹ sciéntes
quod Christus suscitatus ex mortuis iam non móritur,
mors illi ultra non domináitur.

¹⁰ Quod enim mortuus est,
peccáto mortuus est semel;
quod autem vivit, vivit Deo.

¹¹ Ita et vos existimáte vos mortuos quidem esse peccáto,
vivéntes autem Deo in Christo Iesu.

Verbum Dómini.